

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 71

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Si pro dei amore ecclesiarum utilitatibus aliquid de nostra regia munificentia accommodaverimus, ad aeternae beatitudinis praemia capessenda et presentis vitae ac regni nostri statum id nobis profuturum liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum pia devotio dinoscat, qualiter nos cum fideli nostro Reginoldo Mimilevensis ecclesiae venerabili abbate condecuit concambium quoddam facere de prediis nostris. Dedit igitur praefatus abbas ex ratione suae abbatiae cum manu advocati sui Liudgeri comitis in nostrum ius civitates duas cum suburbanis earum, Olsnik et Domuiz nominatas, in pago Scitizi nuncupato in comitatu Geronis comitis iuxta occidentalem partem Albiae fluminis sitas, ad vertendum et dandum ubi nostra voluntas expetivit. Econtra autem in recompensationem illius praedii nos de parte nostrae proprietatis superius iam dicto abbati Reginoldo dedimus viginti villas et I in duobus burgwardiis Bidrizi et Mokernik vocatis iacentes in pago Morazena nuncupato ac comitatu Sigiberti comitis sitas, quarum ista sunt nomina: Nezesowa, Neuplizi, Soliteso, Budim, Rozmuzi, Neziuni, Netruzina, Virbinizi, Liuzewa, Grabonizi, Tribeni, Senatina, Sipli, Tropeni, Ozimzi, Ziazinauizi, Wiplizili, Zobemeh, Vussolizi, Grobizi, Curozuzi, atque easdem per manum advocati nostri Sigiberti cum omnibus utensilibus ad eas rite pertinentibus in mancipiis utriusque sexus areis aedificiis terris cultis et incultis agris pratis campis pascuis silvis aquis aquarumve decursibus piscationibus molendinis viis et inviis exitibus et redditibus quaesitis et inquirendis cunctisque aliis apendiciis quae dici possunt praelibatae ecclesiae Mimilevensi sub perpetuo iure illius et abbatis, qui modo huic ecclesiae praesidet, futurorumque successorum eius ad integrum tenendas donavimus, tradidimus atque confirmavimus, ea videlicet ratione, ut deinceps teneant atque possideant ac quod sibi libuerit inde faciant ad utilitatem ecclesiae atque monachorum deo ibi servientium. Et ut haec commutatio nostra atque donatio presenti ac futuro tempore inviolabilis perseveret, hoc nostrae dominationis preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manumque propria ut infra videtur corroboravimus. Signum domni Ottonis glosissimi regis. Hildibaldus episcopus cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data IIII. kal. octobris anno dominicae incarnationis DCCCCXCII, indictione VI, anno autem tertii Ottonis regnantis nono; actum Botfeldon; feliciter amen.